



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Testamentis. Consilium CCCCVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

cons. 128. Viso processu vol. 2. parte 1. uxorem à marito sic gravato heredem universalem institutam, detracturam fratribus fideicommissariis legitimam & Trebellianicam.

24 In divisione bonorum multo minus potest constitui aliqua renuntiatio. Et si enim Interpretes de eo plerumque disputent, Doct. in l. 1. C. De pact. Curtius iunior cons. 49. nu. 12. Circa litem, Decius consil. 243. Vt clarior nu. 2. an per divisionem censetur renuntiatum fideicommissum, ne fideicommissarius id petere possit (quod rei proposita non congruit; quia non de remissione, sed conservatione fideicommissi agitur) nemo tamen de eo umquam dubitavit, quod per divisionem quis deductioni legitimæ, aut Trebellianicæ renuntiare censetur; cum divisionis tempore non cadat ea cogitatio restitutionis fideicommissi; & ad incogitata referri non possit actus operatio, l. Cum Aquiliana De transact. Ita ut quæ ratione communiter probatur, ut per divisionem non censetur in dubio renuntiatum fideicommissum, Decius d. consil. 243. Curtius iunior d. cons. 49. etiam si divisio facta sit cum renuntiatione, de non plus petendo, aut non contraveniendo, Bart. Imol. & Alex. in l. Qui duo Rome §. duo fratres De verb. oblig. 147. nu. 10. eadem & longè potentius non potest videri renuntiatum deductioni Trebellianicæ; quia connexa & veluti succedanea hæc sunt.

25 Novissimè nec illud impedimentum huic duplici deductioni facit, quod idem Guilielmus cum aliis suis consortibus, adversus Domicellam Mariam Dodeur, relictam viduam Gerardi de Been sui fratris, litem instituerit; & testamentum fratris, quo dictæ Domicellæ Mariæ ex bonis dicto fideicommissum subiectis quædam reliquerat, impugnaverit; ita ut iniquum jus, quod adversus testamentum fratris sui dixit, suo testamento suoque heredi seu successori dici, pati debeat, l. 1. l. 3. §. Quod quisque iuris. Nam in primis iuris iniqui prætextus aut allegatio prætexenti, dicenti, & illud alleganti non nocet, si in eo usque ad sententiam non præseveraverit, aut effectus aliquis inde non sequatur, l. 1. §. vi. Quod quisque iuris. Cum ergo his illa ad finem perducta non sit, sed deserta & perempta; non potest inde aliquid durius adversus dictam Domicellam Liliam, aut testamentum Guilielmi statui. Deinde oppugnatio testamenti per Gerardum conditi circa legitimam aut Trebellianicam propriè non versabatur; scilicet magis circa veritatem ac solemnitatem: negato scilicet notariatu illius, coram quo id publicatum dicebatur. Et denique in actis illius causæ nusquam invenimus, pro parte Guilielmi sustentam aut defensam esse legitimæ aut Trebellianicæ deductionem; per prædictum paternum testamentum, aut subsequenter testamenti approbationem impugnatam fuisse; sed propositionem inutilitatis testamenti, & petitionem fideicommissi generaliter propositam esse: quod improbari non potest. * Vt enim hæres fideicommissum gravatus totam hereditatem, nullâ deductione factâ, restituere potest, l. 1. §. 1. l. Quia poterat Ad SC. Trebell. si plenius fidem exhibere velit: ita quoque nihil vetat totam peti, facultate deducendi heredi gravati relictâ; ita ut deductio exceptionis potestatem obtineat;

quâ omisâ, nihil vetat in toto iudicium progredi.

In altero capite huius litis magnopere laborandū non est: nam communi opinione receptum est, nullam contraventionem aut oppugnationem testamenti constitui in Trebellianicæ; multo minus legitimæ deductione: nam ut Falcidia, §. 1. Instit. De leg. Falcidia, ita quoque Trebellianicæ deductio, voluntati testatoris non repugnat; nec censetur testamento contravenire, qui universali fideicommissum simpliciter gravatus, eam detrahit. Quod unicâ hac ratione indubitatum facit Decius, d. consil. 257. nu. 3. quod videlicet testator possit Trebellianicam prohibere; unde si non prohibuerit, videtur ei locum reliquisse, & in dubio iuris dispositioni se conformasse: est namque Trebellianicæ detractio permissa gravato, seu eius heredi, ex dispositione legali, Castr. in Anthem. Contra cum rogatus C. Ad Trebellian. Quod quia eleganter deducitur, & suis rationibus cum plerisque aliis ad hanc litem plurimum facientibus instruitur à Paulo Parisio, consil. 43. In huiusmodi nu. 33. & seq. vol. 3. latius persequi necessarium non est. Vnde remotis omnibus, quæ præfata Domicellæ Liliæ, in detrahenda legitima, ac Trebellianicæ impedimentum facere videbantur; existimamus relictum domus S. Margarete cum vineis & hortis, saltem usque ad vires legitimæ & Trebellianicæ, valere; etiam si aliis fundamentis, quibus ex lege patriæ ac aliunde munita dicitur, destitueretur.

De Testamentis.

S V M M A R I U M.

Trebellianicæ detractio.

1. Testamenti validitas ex quibus consistat.
2. Testamenti factionem quis habere dicatur.
3. Clericus beneficiatus an possit testari.
4. Liberi legitimi ex illegitimis an possint ab avo, vel avia institui.
5. Natus ex clerico beneficiato non est spiritus.
6. Nepos legitimus ex illegitimo non rumpit avi testamentum.
7. Fideicommissum impedit usufructus consuetudinarii transmissionem.
8. Patri solide non acquiritur usufructus in adventitium in fideicommissum positum.
9. Fideicommissum subiecta alienari non possunt, sed per fideicommissarium vindicari.
10. Hæres in præiudicium fideicommissarii disponere non potest.
11. Voluntas ex potestate disponentis ponderanda.
12. Fideicommissi dominium ante restitutionem non acquiritur.
13. Hæredes hæres cogi potest ad fideicommissi restitutionem.
14. Trebellianicam deducit omnis hæres.
15. Intellectus c. Raynutius, & c. Raynaldus De testam.
16. Trebellianica & legitima quomodo simul deducantur.
17. Trebellianica detractio in vita non facta ad hæredes transmittitur.
18. Trebellianica quæ imputentur.
19. Trebellianica detractio sola consuetudine non tollitur.
20. Trebellianica ut prohiberi ita consuetudine abrogari potest.

CON.

CONSILIVM CCCC VI.

ORdine respondendo ad quaestiones, quæ ex testamento quondam D. Andreae Persoens ac subsequito testamento Ioannis de Leewe proponuntur, paucis rem expediemus. Et quod primò quaeritur de validitate testamenti dicti D. Andreae, nullam habet dubitationem, præsertim quia secundum illud residuum bonorum iam multis annis inter scriptos hæredes sit divisum, & distributum; ut nihil metui debeat, ne ex capite Ioannis, qui unus inter adscriptos hæredes fuit, quicquam adversus illius validitatem obijci possit. * Et si impugnandi potestas salva esset, nullaque approbatio intervenisset, nihilomagi de validitate dubitandum esset: nam sive de solemnibus testamenti, sive de testamenti factione testatoris, sive capacitate hæredum institutorum quaeratur, nihil occurrit, quod ad invaliditatem faciat. Solemnia enim omnia constant; quia adhibito Notario & testibus (quod ex jure consuetudinario in his regionibus sufficit, Ioan. Dilectus de arte testandi tit. 2. de testam. ord. cautela 2. nu. 3.) adscripta hæredis institutione, & nullius ascenditis, vel legitimæ proles præteritione facta, confectum est.

Testamenti quoque factio utrimque constat; regulariter enim illam habent, quicumque apertâ lege non inveniuntur prohibiti testari, *Casirens. in l. 3. nu. 6. De testam. Glossa & Bart. in l. 4. De testam. vel ex testamento capere, §. 1. Insist. De hæred. inst. §. legari & ibi glos. Insist. De legatâ. Nam si quid obstatet Domino Andreae, id vel ex ipsius persona deducendum esset, vel ex persona institutorum hæredum.*

Ex ipsius personâ nihil occurrit, quàm quod fuerit clericus & sacerdos beneficiatus; cui, etsi non sit adempta potestas testandi in universum, restrictior tamen est; ob id, quod de bonis ex fructibus Ecclesiæ acquisitis testari non possit, *Quia nos De testam.* Sed cum Episcopi licentiâ impetratâ testatus fuerit, supervacua est hæc consideratio.

Ex personis institutorum difficultatem facit, quod quamvis instituti nepotes fuerint ipsius testatoris, ex testatoris filia legitimè nati, præsumantur tamen contemplatione filiar illegitimè nate instituti hæredes, quod lex non patitur, *Bart. & alij in l. Gallus §. quid si De liber. & posth.* Verùm tollitur hæc difficultas ex conditione illegitimitatis dictæ filiar, quæ non fuit spuria, sed naturalis tantum, nata ex dicto Andrea, antequam maioribus ordinibus initiaretur. * Cui obesse non debet, quod Dominus Andreas tunc clericus fuerit & beneficiatus: nam quamvis Bartolus, in l. In concubinato De concubin. in ea sit sententia, natum ex clerico beneficiato, etiam si ad maiores ordines nondum pervenerit, esse spurium & minime naturalem, Ioan. Andr. in c. Non est sine culpa De reg. iur. lib. 6. verior tamen & communior opinio habet, merè naturalem esse; ita ut hic nullum odium ex matre dictis hæredibus institutis obijci possit ad inducendam incapacitatem aliquam totius vel partis, *l. fin. C. De natur. liber.*

Relinquitur ergo, ut hoc solum inquiratur,

quid testator eis reliquerit; & an, ut testatus esset, testari potuerit. In quo articulo nulla quoque difficultas est; nam hæredum institutorum conditio talis est, ut eis vel nihil, vel totum, vel partem quibuscumque legibus, ac conditionibus iure non improbatis, relinquere potuerit. * Quamvis enim non minus nepotibus, quàm filiis legitimis, pater relinquere debeat, saltem usque ad legitimam, & præteritione, seu agnatione nepotis, ut filii, perinde rumpatur, & nullum efficiatur testamentum, *l. Inter cetera. De lib. & posth. l. Posthumorum De iustis iur. & c.* ea tamen necessitas restricta est ad nepotes legitimos ex filio legitimè nato; alioqui legitimas nepotis nihil ei prodest ad restringendum testatorem, si filius ex quo natus est nepos, naturalis vel spurius fuit, *d. l. fin. C. De natur. liber.* Proinde quando hoc solum pro parte Theodorici Leewe quaeritur, num Ioannes fideicommissum ex testamento dicti D. Andreae gravari potuerit; ut scilicet portio Ioannis sine prolihus morientis, devolveretur ad alios suos institutos cohæredes, seu eorundem proles legitimas; facilis est responsio, nihil proponi, cur non potuerit, quia instituendi & substituendi, tam directo, quàm per fideicommissum æqualis semper est potestas, *Insist. De hæred. inst. in princ. l. 1. §. substituere De vulgari & pupili.* & tam in casum deficientium liberorum, quàm in alium quemcumque, *l. Ex factis §. fin. Ad Trebell.* Unde hoc solum inquirendum, quæ sit huius fideicommissi potestas? Qui articulus quinque habet capita. Primum, an fideicommissum impediatur, quod minus Erimgardis uxor dicti Ioannis, ut in quibuscumque aliis Ioannis bonis immobilibus, ita in his quoque habeat consuetudinariam usumfructum? Secundum, an Ioannes de his bonis potuerit quicquam alienare? Tertium, an testamento de his disponere potuerit? Quartum, an sub generali bonorum relicto Ioannes hæc bona etiam comprehenderit? Quintum, an Trebellianica ex hoc relicto fideicommissum in restitutione detrahi possit?

Quod ad primum atinet, dicimus per fideicommissum impositionem impediri usumfructum, qui iure connubii acquiritur; ita ut magis inspiciamus, quid voluerit ille, qui legavit, & reliquit, quique suæ liberalitati legem, quam voluit, dicere potuit, *l. Legem De pactis*; quique nulla necessitate, sed merè liberaliter legavit; quàm quod est in consuetudine, quæ suam vim exercet tantum in iis bonis, quæ pleno jure proprietatis defuncti conjugis fuerunt; & quorum proprietatem mors ipsa non abrumpit. Iam verò constat, bona fideicommissum in casum mortis subiecta, hæredis quidem esse, quamdiu vivit; sed eo mortuo restituenda, cui testator restitui iussit, sic ut, si effectum & exitum respiciamus, verè usumfructum tantum habuerit, qui morte finitur, & non transmittitur, *l. 3. §. fin. Quib. mod. usus. amitt.* * Et ut hoc certiore demonstratione demonstretur in 8. immobilibus bonis mariti, similis est ususfructus ille, qui ex jure communi debetur patri in bonis adventitiis filii familias, *l. fin. C. De bonis que liber.* Nunc autem constat, usumfructum patris impediri seu resolvi, si filius familias institutione aut legato honoratus, rogatus aut iussus sit restituere post

post mortem tertio, l. cum filiosam. De leg. 1. Authent. Excepitur C. De bonis qua liber. cum quod pleno ac irrevocabili jure filiosfamilias est, neque emancipatione, neque morte filiosfamilias exeat usufructum patris, l. fin. in fine C. Communia de success. Gloss. l. 2. & ibi Bart. C. De bonis maternis. Ut mirum videri non debeat, si dicamus, jure connubii non deberi usufructum earum rerum, quae morientis conjugis pleno, irrevocabilique jure non fuerunt, & quorum restitutione in casum mortis gravatus fuit; satisque sit in proposito, quod in fraudem consuetudinis nihil machinatus sit Ioannes; & unicuique liberum sit suae donationi & liberalitati legem dicere quam velit, d. l. Ad legem C. De pact.

9 In secundo articulo res manifesta est, ex generali iuris dispositione, quae subiecta fideicommissio alienari vctantur, quocumque genere alienationis, Auth. Res qua C. Communia de leg. & fideicom. permittit fideicommissarii potestate alienata revocandi, & vindicandi, l. fin. §. sed quia & §. fin. autem vers. Sed in his omnibus C. Communia de leg. l. Pater filium in princ. De leg. 3. Atque ob id si quid ex bonis, quae titulo residui accepit Ioannes, alienatum est, aut si quod onus hypothecae iis impositum est, non nocebit cohæredibus ipsius, qui in casum mortis sine liberis substituti sunt.

10 Tertius articulus dubitationem quoque non habet: nam quamvis cum testator alienationem prohibet, & ita fideicommissum respectu familiae seu cognitionis inducit, l. Filiosamil. §. divi De leg. 1. possit hæres gravatus interdum testamento de huiusmodi bonis disponere, Bart. in l. Peto §. fater De leg. 2. Ias. d. §. divi nu. 147. in 2. lectura; tamen cum certa persona substituitur, non potest in præjudicium illius testamento, vel inter vivos disponere, & spem fideicommissi intervertere, quia hoc respectu substitutio prohibitionem potentior est, ut voluntas testatoris servetur, l. hæredes mei, §. fin. Ad Trebell. l. Vtrumque §. cum quidam De reb. dub. Auth. de resit. & ea qua parit tamquam coll. 4. post princ.

11 Quartus articulus à precedente parum distat; voluntatem enim testatoris plerumque ex potestate metimur & expendimus, l. si tibi §. unus De opt. leg. l. Lucius §. Imperatores Ad municip. quia nemo velle videtur, quod non potest. Unde cum Ioannes generaliter de bonis suis, quae etiam à parentibus ei obvenirent, testamentum suum conceperit, intelligendum est generale bonorum relictum de his bonis, quae libero & pleno jure habebat, quaque fideicommissio, & per consequentiam prohibitioni alienationis non erant obnoxia: ut generaliter in generali sermone nunquam veniunt prohibita alienari, l. Voluntas & ibi Bart. C. De fideicommiss. l. 2. C. De usucap. pro emprore. * Et si dici posset, generalitatem verborum aptam esse ad comprehendendum etiam ea bona, quae fideicommissio erant obnoxia; ob id, quod res fideicommissio universali subiectæ, sint in dominio hæredis gravati, & præterea etiam transcant in hæredem & successorem ipsius, à quo peti debent; ita ut ante restitutionem saltem verba-lem nullum dominium rerum hereditarium in fideicommissarium transire possit, l. Facta in princ. & ibi Glossa 1. Ad Trebell. sic ut ne Publiciana qui-

dem ante eam restitutionem fideicommissario competat, l. Cum sponsus §. si qui De Public. in rem act. * nihilo tamen deterior erit cohæredum fideicommissariorum conditio; quia res transibunt in successorem cum sua causa, l. Generaliter §. quoties De fideicom. libert. hoc est quisquis hæreditatem Ioannis apprehendet, tenebitur ad restitutionem bonorum, quorum fideicommissio Ioannes gravatus fuit; ut generaliter hæres gravati hæredis tenetur ad restitutionem ex Senatufconsulto Trebelliano, si gravatus in vita non restituit, l. Si eius §. si quis rogatus Ad Trebell. Bald. ad l. Post mortem C. De fideicommiss. Atque ita fit, ut in casu proposito Erimgardis cogi possit ad restitutionem illorum bonorum, quæ ex clausula residui accepit Ioannes; non autem eorum, quæ jure prælegati in dicto testamento specialiter Ioanni forte relicta sunt; quia hæc fideicommissio non subiecit testator.

14 Restat postremus articulus de detractioe Trebellianicæ, num scilicet ea uti possit uxor Ioannis, sibi quidem jure usufructus, & hæredibus in proprietate omnium bonorum iustitius jure proprietatis, sic ut substituti Ioannis non possint obtinere nisi dodrantem? Qui articulus majorem habet dubitationem. Et sanè principio nihil me movet ea consideratio, quod Ioannes hoc fideicommissio gravatus non fuerit necessarius hæres testatoris, l. fin. C. De natur. lib. nam Trebellianicam deducit omnis hæres, quantumvis extraneus, & qui nexu sanguinis testatorem non contingit; neque ullo casu ab intestato testatori successurus erat, l. Scius Saturninus, l. Quidam ita Ad Trebell. nisi testator detractioe Trebellianicæ prohibuerit, Authent. Sed cum testator C. Ad L. Falcid. & ibi Doct. Alii in l. Nemo potest De leg. 1.

15 Et quod in jure Canonico traditur, in c. Raynaldus, & in c. Raynaldus De testam. non est de detractioe solius Trebellianicæ inter descendentes testatoris intelligendum, sed de detractioe solius Trebellianicæ, & legitima jure natura debita, quæ duplex detractio tantum his permittitur, quibus legitima aliqua de jure debetur, ut concurrenti duplici deductionis causa duplex quoque fiat deductio, & cum una causa subest, unica quoque tantum fiat detractio, * 16 Quod & illud pertinet, quod quamvis filius fideicommissio gravatus detrahat legitimam & Trebellianicam, diverso tamen jure detrahat, legitimam enim detrahat ut filius; Trebellianicam ut extraneus, Bald. in l. Quamquam C. Ad L. Falcid. Decius consil. 480. In casu qui contingit.

Sed nec illud ad impediendam detractioe Trebellianicæ facere videtur, quod Ioannes in vita detractioe non fecerit, aut quod eam fieri velle non declaraverit: nam hoc generale est, jus detrahendi Trebellianicam transmitti ad quoscumque hæredes hæredis gravati tam ab intestato, d. l. Quamquam C. Ad L. Falcid. & ibi Bart. quam ex testamento, l. Irritum C. eod. tit. & tam ad extraneos, quam suos, Doct. in l. Omnimodo C. De inoff. testam. Paris. cons. 45. vol. 2. Ias. cons. 43. Videtur prima consideratio in penult. dubio vers. primum quod posito vol. 3. Quod necessarium est dicere eo casu, quo hæres gravatus est restituere post mortem,

tem, seu cum morietur: nam, ut inquit Castrensis, in d. l. *Quamquam*, antequam moriatur non est ortum jus detrahendi, sed oritur in mortis articulo, ideoque incipit in persona hæredis; ut satis sit in proposito, quod Ioannes non declaraverit se in polle uti Trebellianica. * Cum itaque Ioannes hæredes instituerit in proprietate bonorum suorum, universali usufructu eorumdem relicto uxori; hoc saltem tolerandum videri posset, ut uxor quartæ Trebellianicæ usufructum, & hæredes proprietatem deducere possent; sic tamen, ut eis in eam quartam primum imputentur, quæ alienata sunt, l. *Marcellus* §. *Res qua* Ad SC. Trebell. item quæ titulo legati ex eodem testamento accepit, Doct. in l. *In quartam* Ad L. Falcid. & tertio fructus omnes, quos à tempore mortis Domini Andrea ex bonis restitutioni subiectis percepit. Quamvis enim iure singulari in hæredibus necessariis fructus omnes non computentur in quartam, l. *Invenimus* C. Ad SC. Trebel. aliis tamen hæredibus omnino imputantur, l. *In fideicommissaria* & ibi Alex. Ad SC. Trebel. quia iudicio defuncti percipiuntur, l. *Mulier* §. *si hæres in fine* Ad SC. Trebel. quorum fructuum rationem diligentem, si inest Theodoricus, nihil dubitandum, quin ad eam summam facili ascendant, quæ pro totâ Trebellianica sufficere possit.

19. Quam rationem certiorē putamus, quā confugere ad illud præsidium, quasi in his regionibus Trebellianicæ nullus extet usus: non enim tollitur lex solâ defuetudine, si contrariâ consuetudine, vel lege non sit abrogata; neque actibus hominum aliter sit observatum, etiam si mille annis nemo lege scriptâ usus sit. Neque ad rem facit, si dicatur non exrare exemplum detractæ Trebellianicæ: nam cum utrumque sit in arbitrio hæredis, detrachere, & non detrachere, si forte velit latius fidem exhibere testatori, l. *Qui totam eed. tit.* non potest ex voluntaria omissione detractiois dici inducta consuetudo abrogatæ Trebellianicæ.
20. Proinde inquirendum est, num contradicito iudicio aliquando ita sit iudicatum & practicum; quo casu nihil dubitandum esset, quin nulla detractio fieret: si enim testator prohibere potest Trebellianicam, d. *Auth. Sed cum testator* & ibi Doct. consuetudine vel statuto induci poterit illius generalis & universalis prohibitio.

De Testamentis.

SUMMARIUM.

Legatum Minoritis relictum.

1. Testamentum præteritione collateralium consanguineorum non rumpitur.
2. Angustia temporis non vitiat.
3. Condicio difficilis, dummodo non sit impossibilis, non vitiat.
4. Condicio impossibilis pro non adiecta habetur.
5. Testamentum corrumpit non adita hereditate.
6. Hereditatem ex testamento contemnens adire in fraudem præstat legata.
7. Testamenti insinuatō ubi ex statuto faciendā non est necessaria in pñs legatis.
8. Minoritis magna legari non possit.
9. Minoritis hæredes institui non possunt.

10. Minoritis in fraudem hæredum legari non potest.
11. Monasterium Minoritarum ingrediens testari potest.
12. Minoritis ad divinum officium legari potest aliquand annuum.
13. Meru factum dici nequit, quod spe præmiū vel lucti factum est.
14. Ademptio pœnalis ex causa permessa valet.
15. Patruus in successione collateralis præfertur consobrino.
16. Actor sequi debet forum Rei.

CONSILIUM CCCCVII.

PETRVS Goffart adolescens annos natus septemdecim. post annum probationis exactum, facturus professionem regula S. Francisci, in Monasterio Minorum Civitatis Namurcensis, prius habita communicatione cum M. Gabriele Plennecocque suo patruo, & ab intestato proximo ejus legitimo hærede, de dandis per dictum Magistrum Gabrielem duobus millibus florenorum pro successione seu hereditate ejusdem Petri, suum condidit testamentum, in quo in omnibus suis bonis paternis constituit hæredem dictum M. Gabrielem, sub onere & conditione dandi ad manus Syndici seu Patris spiritualis dicti Monasterii mille ducentos florenos distribuendos modo & formâ in dicto testamento præscriptis, videlicet ut mille floreni applicarentur in ædificationem Dormitorii in dicto Monasterio; item ducenti impenderentur in dicti testatoris professionem, libros, vestimenta, & illius alia necessaria: volens ulterius, ut idem M. Gabriel adhuc daret octingentos florenos; ex quibus voluit centum distribui in primitiis ipsius testatoris. Adscriptis præterea in dicto testamento, & in codicillis legatis pluribus, usque ad dictam summam octingentorum florenorum, qui sunt reliquum dictorum duorum millium, quos M. Gabriel pro bonis paternis obtulerat. Et de bonis suis maternis ad utilitatem aliorum disposuit. Quo testamento facto, testator suam professionem tenuit, & M. Gabriel, dicto Petro sic civiliter per professionem mortuo, bona ipsius apprehendit, dictoque Patri spirituali renuntiavit, ne prædictam pecuniam distribuatur, sed sibi reddat; ob id, quod ad illam promittendam & numerandam dolo, & metu amittendorum paternorum bonorum inductus fuerit, quodque dictum testamentum secundum consuetudinem approbatum non foret. Quæritur, an id rectè faciat seu facere possit; & an dictum testamentum sit validum & iustum; & an eo annullato, idem M. Gabriel ab intestato futurus sit proximus hæres; præsertim in bonis paternis, exclusâ dicti M. Gabrielis sororis detunctæ filiâ?

Ad quas quæstiones ordine respondendo, dicimus, nihil occurrere, nec proponi, cui hoc testamentum & sequentes codicilli nullitatis aliquo vitio laborare dici possint: sunt enim facta & condita ab eo, qui juris sui erat, nec parentes, nec liberos superstitēs habebat; & in iusta ætate, quæ ad testandum requiritur, constitutus erat, utpote quatuordecim annis major, l. *Qua ætate* De testam. Idque cum observatione formæ & solemnitate testandi, quæ nunc passim ex obtinente consuetudine obtinuit, testamenta condi coram Notario & testibus